UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol. Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm Crvcifixvm

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae, 1648

28. Cauet, diligenter, vt non obturet aures ad voce[m] Crucifixi vocantis, inuitantis, terrentis, hortantis, ne vicissim Crucifixus aures ad illius preces obturet.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55065

Visual Library

VIII.
AMATOR CRVCIFIXI

cauet diligenter, vt non obturet aures ad vocem Crucifixi vocantis, inuitantis, terrentis, hortantis, ne viciſſim Crucifixus aures ad illius preces obturet.

28. *Lex Talionis.*

NAM lege talionis agit nonnunquam mitiſſimus Dominus, poſt patientiam ſæpius irritatam, & in furorem verſam. *Domine ne in furore tuo arguas me.* Quod contigit illi Ruſtico, de quo fertur, quod nunquam adduci potuerit, vt diebus illis, quibus Chriſtiano ritu, in Eccleſijs de DEO eiuſque Filio, de Chriſti Domini vitâ ac Paſſione, deque CRVCE ac morte acerbiſſima ex Euangelijs diſſeritur, concionantem audiret; id eſt, Chriſti Paſſi & CRVCIFIXI per Concionatorem voces perciperet. Itaque tandẽ morbo lethali correptus inijt communem mortalibus viam.

Ruſticus oſor cõcionis de Paſſione.

Poſt obitum, delato ad templum cadauere, dum Sacerdos & alij Clerici officium funerale legendo & cantando peragunt, viſa eſt imago CRVCIFIXI, manibus è ligno à CRVCE retractis

CRVCIFIXVS obturat aures.

vtrum-

vtramque aurem occludere, ad eum modum, quo de Iudæis audire nolentibus S. Stephanum in Synagoga diſputantem dicitur in Actibus Apoſtolicis: *Continuerunt aures ſuas.* b.

Interim attonitis ad tam inſolens ſpectaculum circumſtantibus, fit murmur, inquiſitio, eiulatus. Tandem Sacerdos, indicto omnibus ſilentio, tanquam DEO afflatus hæc magno ſenſu grauiter enunciat: *Vos ſcitis, quod iſte nunquam voluit audire Verbum DEI, & ideò eſt nunc in manu Diaboli: propter quod* DEVS (vt in CRVCIFIXI illo ſigno videtis) *obturauit aures ſuas, ne audiat preces, quas pro eo fundimus.* *DEVS quoſdam non exaudit.*

Quæ vt audiuerunt qui funus defuncti ad templum duxerant, ſtatim extra ſacram ædem elatum corpus cõmuni cum beſtijs ſepultura tumularunt. *Sepelitur in ſterquilinio.*

Caueant inimici CRVCIFIXI, & frequenter perpendant, quod eſt Prouerbiorum 1. c. *Quia vocaui & renuiſtis* (impoſuiſtis auribus digitos) *deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus,* *DEVS nõ eſt irritãdus.*

quaſi tempeſtas ingruent: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me & non exaudiam (vtramque etiam auriculam digitis obſtruam.) *Manè conſurgent, & non inuenient me, eò quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint.*

a. *Iacob. de Vitriaco Sermone* 190. *Raulinus Speculum exempl. diſt.* 9, LX. CCXI. b. *Actu* VI. 57. c. *Prou.* 1. *à ver.* 24. *vſq; ad* 30.

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

Paſſionem Domini frequenter meditando ingreditur, tanquam Scholam Patientiæ.

29. *PASSIO Gymnaſiũ Patientiæ.* TALIS quamuis fuerit tota CHRISTI vita: nam vt verè & eleganter dixit S. Cyprianus a: *Omnes actus Chriſti ab ipſo ſtatim aduentu Patientiâ comite ſignãtur*: tamen in fine potiſſimum hoc Gymnaſium aperuit; vt rectè PASSIONI titulus dari poſſit, & adfigi CRVCI, quæ ad limen erecta ſit: SCHOLA PATIENTIÆ. Ingredere: docentem audi, non tam verbo, quàm opere: omnis lectio à Patientia incipit, & deſinit in Patientiã: omnis repetitio, diſputatio, exercitatio